

fol. 187v

herus de Hatstat advocatus Alsacie cum centum militibus optime pre-
paratis cum dextrariis suis falleratis. Hii duo domini militibus suis
congregatis in Basilea coiunguntur. De Basilea vero in Sueviam pariter
profiscuntur ibique comes de ***^{o)} cum centum militibus equos fallera-
tos habentibus^{p)} adiungitur et iter ceptum pariter perrexerunt. Milites isti
sic in itinere constituti dominos plurimos timuerunt, unde et pluribus
diebus in armis gravibus permanserunt. Cum autem Viennam venissent
ad regem, gavisus est gaudio magno et | statim interrogavit rex, quare
filius suus in eorum societate non venisset. Tunc responderunt ei: Filius
vester cum quingentis militibus est [in]^{q)} procinctu^{r)} veniendi. Comes
vero Phiretensis¹⁸⁴⁾ et comes Montispeligardi¹⁸⁵⁾ sunt in veniendo cum
multis militibus optime preperatis. In secreto vero regi contraria his
omnibus referebant dixeruntque: Domine rex, nec filius vester nec ali-
quis amicorum vestrorum tam subito poterit vobis in vestris necessitati-
bus subvenire. Debetis igitur deliberare et bene ponderare, quid facere
debeat. Rex respondit eis dicens: Placet, ut una die quiescat et ad
bellum postea procedatis. Sufficit michi, quod vos habeo custodes capitis
mei. In deo meo confido, qui me miraculose ad hanc gloriam noscitur
elegisse et in ea mirabilius confortasse, qui eciam nunc me per gratiam
suam, ut spero, mirabiliter adiuvabit. His dictis modicum tacuit et
verum dixit: Ad bellum omnes in crastinum preperate, quia cum familia
regis Bohemie nos oportet fortiter dimicare. Tunc tota familia regis
Rûdolphi cucurrit ad confessores. Debita sua scribebant, inimicicias
remittebant^{s)} et ad comunicandum prout fidelius poterant preparabant.
Periculum enim mortis eis omnibus videbatur imminere. Omnis exercitus
regis Rûdolphi alba cruce desuper utebatur. Sed Bohemie regis exercitus
crucem viridem^{t)} deferebat. Rex Rûdolphus pro suis ac pro se fuerat in
timore maximo constitutus, rex vero Bohemie certus de victoria fuit,
quia de bonis promissionibus inimicorum mirabiliter confidebat, unde
dixit: Si quis michi veraciter regem Rûdolphum cum suis Danubium
transivisse nuntiaret, pecuniam viginti marcarum voluntarie pro-
pinarem.

^{o)} *Lücke in der Hs.*^{p)} *Hs. faleratos habentes*^{q)} *fehlt in der Hs.*^{r)} *Hs. precincto*^{s)} *Hs. remitebant*^{t)} *Hs. viride*

¹⁸⁴⁾ *In Frage kommen die Grafen Friedrich (urkdl. 1261 und 1270), Ludwig III. (gest. vor 1281) und Theobald von Pfirt (gest. 1310). Wahrscheinlich ist Theobald von Pfirt hier gemeint.*

¹⁸⁵⁾ *Theobald von Mömpelgard, verh. mit Alix von Pfirt.*